



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theses Vniversae Theologiae Speculativæ, Sacramentalis,  
& moralis**

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniæ, 1648**

De Confirmatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42284**

## 78 DE CONFIRMATIONE.

At si tunc peccavit mortaliter, requiritur contritio ad tollendam fictionem, aut certè attritio cum confessione sacramentali.

Ref. 4. Variæ sunt ceremoniæ Baptismi, quarum alia præcedunt, alia comitantur, alia sequuntur Baptismum.

## DE CONFIRMATIONE.

CAP. XIII. Confirmatio est verum novæ legis sacramentum, à Christo Domino institutum.

Institutio Confirmationis fuit inchoata in nocte cœnæ, & post resurrectionem, quando Christus Apostolos fecit Episcopos, absolute.

Ref. 2. Materia remota Confirmationis est chrisma, quod ex oleo olivarum, veroque balsamo componi debet.

Ad essentiam Confirmationis requiritur, ut chrisma ab Episcopo sit benedictum: non tamen eodem anno, et si hoc sit de præcepto.

Ref. 3. Materia proxima Confirmationis est unctio ex chrismate, sine qua mera manuum impositio ad valorem sacramenti non sufficit.

Ad valorem Confirmationis requiritur, ut unctio fiat in modum Crucis, idque in fronte confirmati.

Item ut fiat manu Episcopi; quod autem fiat pollice illius dextro, id tantum est de necessitate præcepti.

Ref. 4. Forma Confirmationis est hæc: Consignote signo Crucis, & confirmo te christmate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

Ut valeat, exprimenda est persona quæ confirmatur, actus confirmantis, ut ab illo procedit, & tres personæ Trinitatis distinctè invocandæ.

Item utrumque illud verbum, signo, confirmo exprimendum est, duoque illa, Christmate salutis, apponenda.

Illa forma Græcorum, signaculum doni Spiritus sancti, non videtur sufficiens ad valorem sacramenti.

CAP. IV.

## DE CONFIRMATIONE. 79

CAP. XIV. Ref. 1. Solus Episcopus est minister ordinarius sacramenti Confirmationis.

Episcopus verè consecratus, excommunicatus, aut suspensus, vel etiam hæreticus sit, Confirmationem validè conferre potest.

Tripliè explicatur, quòd olim revertentibus ab hæresi manuum impositio fieri solebat.

Ref. 2. Simplex sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis, ex delegatione summi Pontificis.

Dare dictam facultatem simplici Sacerdoti, spectat solum ad summum Pontificem.

Quod dicitur, Episcopum posse in sua Diœcesi, quod potest Pontifex in toto orbe, intellige de potestate ordinis.

Ref. 3. Nullus nisi baptizatus, validè confirmari potest, omnes tamen baptizati ritè confirmari possunt.

Infantes non debent confirmari, extra gravem necessitatem, ante usum rationis: nec opus est expectare duodecimum annum, sed anno septimo confirmari possunt.

Amentes qui nunquam usum rationis habuerunt, sunt confirmandi: immo & qui habuerunt, si constet eos non esse in peccato mortali.

Ref. 4. Nemo tenetur ex præcepto, sive divino, sive ecclesiastico suscipere sacramentum Confirmationis.

Per accidens tamen urgeret hoc præceptum, si quis se putaret sine Confirmatione, tentationes contra fidem superare non posse.

Non est peccatum mortale suscipere ordines ante Confirmationem, videtur tamen veniale.

Ref. 5. Duo sunt effectus Confirmationis, character à baptismali realiter distinctus, & gratia perfectior baptismali.

Confirmation iterari non potest, non tamen irregularitatem contrahit, qui secundò eam suscipit, nec qui eidem homini eam bis administrat.

Hac-

80 DE EUCHARISTIA.

Hoc sacramentum factè suscepsum, ex probabili sententia, recedente postea fictione, confert gratiam.

*Ref. 6.* Variæ sunt cæremoniæ Confirmationis, quæ cum aliæ præcedunt, aliæ comitantur, aliæ sequuntur illius administrationem.

---

L I B E R II.

D E E U C H A R I S T I A.

**CAP. I.** Eucharistia varia habet nomina, quæ ad *Ref. 1.* 4. capita revocantur. 1. ad institutionem illius, quomodo vocatur Mensa, Cœna Domini, & Eulogia. 2. ad rem contentam, quomodo vocatur Panis vivus, & cœlestis, Sanctum Domini, Sacramenum sacramentorum, &c. 3. ad effectus, quomodo vocatur Communio, Pax, Viaticum, Pretium nostrum. 4. ad representationem, quomodo vocatur Memoriale passionis Christi.

*Ref. 2.* Eucharistia sacramentum fuit institutum in ultima cœna, quæ Christi passionem præcessit.

Congruum fuit ut tunc institueretur post manducationem agni paschalis, qui erat figura illius.

*Ref. 3.* Eucharistia consistit in re aliqua permanente, nempe in materia consecrata.

Verba consecrationis non sunt propriè de essentiâ hujus sacramenti in facto esse, sed tantum inferi.

Usus etiam non est pars essentialis hujus sacramenti, et si in eo gratia conferatur.

Sacramentum Eucharistie ex speciebus panis & vini, & ex corpore & sanguine Christi essentialiter, & adæquatè constituitur.

*Ref. 4.* Species panis & vini constituunt unum specie sacramentum: sicut cibus & potus unum specie convivium moraliter componunt.

Imò plures species ejusdem rationis simul sumptuæ,